

20

COGITATIONES SUBITANÆ
DE
STUDIO NOVITATIS
IN
PHILOSOPHIA,

QUAS

*Consens. Ampliff. Facultatis Philosoph. in Regia
Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI VIRI

**D:NI DOCT. CAROLI
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROF. Reg. & Ord. Decan. h. t. Max. Spect.

Publico Candidorum Examini

PRO GRADU MAGISTERII

modeste submittit

MICHAEL MONTIN,

V. D. M.

OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDIT. MAJORI, DIE XX. JUNII ANNI MDCCLXIII.

H. A. M. S.

A B O Æ,
Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



PROOEMIUM.



uemadmodum veritas in se est nobilissima hominibusque utilissima, quam, ceu thesaurum pretiosissimum, labore & sudore quivis investigare tenetur; ita & via ad eandem est maxime ardua. Et ut DEUS, Creator omnium rerum sapientissimus, in prima creatione homini impressit animum veritatis cupidissimum, qui indefesso labore & ardenti fervore, si in hoc statu permansisset homo, veritatis naturam & indolem semper evolvisset; ita & jam post corruptionem generis humani uti universalem ita & nunquam fatis deplorandam, animum hunc in quævis devia vesana cum licentia ruere videmus. Hujus tot sunt exempla, ut iisdem enumerandis vires nostræ non sufficiant; alii enim, ut brevibus rem expediamus nostram, scepticismum in thronum veritatis evehere student. Alii in eo veritatis evolvendæ florem suffocant, quod, nimio antiquitatis studio fascinati, omnia veterum præcepta, quantumvis falsissima mordicus defendant & ceu oracula Divina adorent; alii denique

nique Charybdis evitantes in Scyllam incidunt, hoc est, improbant omnia antiquitatis præcepta, sed ita, ut simul in vesanum novitatis studium præcipites agantur. Paucissimi enim non minus quam beatissimi sunt illi mortalium, qui mediam tenent viam. Studium novitatis quum hac occasione Divino sub auspicio brevissimis excutere nobis proposuerimus, Te, Candide Lector, qua par est, verborum observantia rogamus, velis illis, quæ hæc de re probaturi sumus, benignam, ut soles, addere limam.

§. I.

Brevitas proposita non permittit ut varias, quas habet vocabulum *novitas*, evolvamur acceptiones, sufficit, impræsentiarum eas tantum adferre, quæ ad nostrum institutum intelligendum faciunt. Novum vocatur imprimis illud, quod non antea existit, sed nunc existere incepit, quod fit vel ratione materiæ, vel formæ vel ratione utriusque; sic in disciplinis illæ novæ appellantur, quæ antea non erant notæ atque detectæ, vel ipse modus eadem explicandi jam demum inventus est, vel etiam utrumque jam nunc obtinet; quod variis exemplis illustrari posset, si ita res postularet. Novum illud quoque audit, quod licet antea jam exstiterit, sed illius existentia tamen hominibus non prius erat nota, quam nunc primum detecta seu quod nunc in nostra cognitione existere incepit. Novum adhuc vocatur illud, quod mutationem quandem subiverat, vel ratione materiæ vel formæ vel alia-

rum determinationum seu qualitatum. Præter has significationes etiam illud novum appellatur, quod leges naturæ suspendit seu contra cursum naturæ semel a DEO constitutum sit; sic DEUS nova creare in scripturis dicitur, quando miracula patrando cursum naturæ non subvertit, sed suspendit. Hinc per studium novitatis nos in præsentī nihil aliud intelligimus, quam constantem & assiduam animi occupationem in veritatibus detegendis vel novis argumentis demonstrandis. Nos heic non studium novitatis in veritatibus Theologicis, sed philosophicis indigitare res loquitur ipsa.

§. II.

Studium hocce novitatis in hominibus esse duplex, modestum, seu rationi conveniens, & nimium seu sanæ rationis principia evertens, omnium temporum historiæ luculentissime ostendunt. Parentes nostri primi in Paradiso jam, proh dolor! studii novitatis perversi specimina ediderunt tristissima, quemadmodum sacra testatur pagina. Sectæ illæ infinitæ, quæ in orbe litterario floruerunt & adhuc florent animosque mortalium in diversa mirum quantum rapiunt, si non omnes, certe maximam ad partem huic studio originem debent suam, ut ex historiis litterariis fudo clarius patet. *Aristotelis subit mirari confidentiam, qui impetu quodam percitus contradictionis & bellum universæ antiquitati indicens non solum nova artium vocabula pro lubitu cudendi licentiam usurpavit, sed etiam præscam omnem sapientiam extinguere & delere annis*

sus est; adeo ut neque nominet uspiam auctores antiquos, neque dogmatum eorum mentionem ullam faciat, nisi quo aut homines perfringeret aut placita redargueret. Sane si famam nomine suo ac sequacium turbam affectaverit, hoc rationibus suis imprimis accommodum, dixit Magnus Verulamius de Aristotele in libr. de Augm. scient. III. Cap. IV. p. 79. Nam quemadmodum ex una parte adeo corrupta est natura humana, ut homo nimia gloriæ cupidine incantatus & quasi in sanitatem mentis sæviens, haud raro in id imprimis incumbat, ut aliorum animos atque admirationem captare queat; ita & ex altera alii ad nova dogmata amplectenda cæco feruntur impetu. Unde haud raro contigit ut ejusmodi novatores miro cum applausu recipiantur præsertim a juventute quæ nondum judicio res excipere & in antiquas veritates inquirere consuevit; quia ipsi (scil. juvenes) ut verbis utar Pufendorfii In Cap. II. §. 2. controvers. p. 177. non solum gloriæ cupidi sunt, & scientia nondum protrita ostentare se gestiunt; sed etiam quia a præconceptis opinionibus vacui, nondum mentem suam in certam partem flexerunt, & præcipue quia existimationis istorum nihil interest, an vetus doctrina collabatur, cui ipsi nondum nomina sua dederunt. Sed priusquam ad ipsam moralitatem studii novitatis penitus rimandam nosmet conferamus, verba Francisci Baci Baronis de Verulamio ex libro modo citato Lib. I. p. 40. allatis adhuc apponere lubet, quæ sic leguntur: Primus vitiosus humor est immodicum studium

duorum extremorum antiquitatis & novitatis. Quae in re temporis filiae male patrissant; ut enim tempus prolem devorat, sic haec se invicem, dum antiquitas novis invideat augmentis & novitas non sit contenta recentia adjuvare, nisi vetera prorsus eliminat & rejiciat.

§. III.

His praestructis paucissimis moralitatem studii novitatis ut evolvamur instituti postulat ratio. Diximus jam in antecedentibus studium novitatis esse vel sanum vel perversum, illud laudandum commendandumque esse, hoc vero rejiciendum vel ipsa vocabula indicant. Illud enim est assidua & innocens animi occupatio in veritatibus novis Philosophicis detegendis. Hoc studium tantum abest ut veritatibus antea inventis solideque demonstratis insidias struat, ut potius easdem non solum intactas reliquat, verum etiam novis argumentis & experimentis factis easdem ceu immotas stabiliat. Veneratur hocce studium non nudam antiquitatem sed veritatem, cui investigandae omnia sua offert libamina; nam antiquitati ita indulgere ut veritates rimandae exinde detrimentum capiant, non solum est servitium turpissimum, sed etiam vesania summo gradu detestanda, quae finibus DEI sanctissimis sapientissimisque nimium in modum repugnat. DEUS enim eum in finem hominibus facultatem intelligendi concessit, ut opera manus ejus nunquam satis admiranda, nedum unquam satis rimanda, pia mentis devotione considerent naturamque eorundem in quantum penes ipsos est fanis

nis perlustrant oculis, atque exinde cognitio Divinis perfectionibus motiva actionum suarum sumant uti sufficientissima, ita & perfectionibus Divinis congrua. Hoc vero erroribus intellectus lumen captivantibus nunquam fieri potest, sed e contrario homines in quævis vitia & horrendam superstitionem irruunt, ut experientia testatur omnium fere temporum; qui mala, quibus Philosophia Scholastica per plura secula totum orbem litterarium & ecclesiam Christi vexavit, sana mentis ponderaverit lance, non potest non ex toto exhorrescere animo, quod vesana antiquitatis veneratio adeo hæc incantaverit tempora. Nam quemadmodum nihil insulsius excogitari potest, quam ab infantulo tantam linguæ requirere puritatem atque promptitudinem in verbis atque cogitatis animi sui exprimendis, quanta jam gaudent homines ætate proveci; ita nec quicquam rationi magis conveniens putaverimus, quam ut accrescente mundi ætate scientiæ variarum rerum, vitæ humanæ utilium, quoque majora atque majora capiant incrementa; quia per veritates antea notas facilius est via ad novas eruendas. Hinc quoque in præsentis & proxime præterlapsis seculis factum est, ut viri, sano veritatis amore flagrantibus, excusso servitutis scholasticæ jugo, novis veritatibus detegendis & absurditatibus veterum relegendis, uti assidua ita & felicissima sudoris obtulerunt libamina, scientiasque in usum mortaliū novis incrementis mirum quantum duxerunt.

Es that der Herr von Pufendorf gar recht/ daß er
in

in der Lehre von dem natürlichen Recht eine neuerung machte / weil er sahe wie verwirrt und unrichtig die *Scholastici* mit dieser *disciplin* umgegangen waren / inquit Joh. Georg. Valchius in Lex. Philos. sub vocabulo: Neuerung. Variæ obstant rationes, ut plures scientias, quas studium novitatis sanum multum in modum locupletavit, percurrere veritatemque thesæ nostræ adstruere nobis non liceat; spero tamen fore ut quivis ex allatis rite pensitatis facile videat thesin nostram sua radiare luce.

§. IV.

Sed uti illi, qui sano novitatis amore veritatibus novis detegendis stabiliendisque student, se de veritate maxime reddunt meritos, ita vicissim illi, qui vesano atque perverso novitatis pruritu omnem irrident antiquitatem, veritati pessime consulunt. Nam nullam habent veritatum rationem, sed ob eam solam causam omnia rejiciunt antiqua atque ab aliis antea detecta, quod canitiem antiquitatis redoleant, & ambitioni, qua se solum sapientem aliis præstare omniaque reformare adnituntur, repugnare, nescio quibus opinionum monstrum fascinati homines hujus furfuris hariolentur. Hinc illi habent omnes, qui in explicandis perlegendisque veterum scriptis tempus impendunt suum, pro hominibus cerebro laborantibus vel saltim a præjudiciorum lemuribus obsessis. Sed ne brevitatæ propositæ transgrediamur limites, his subsistamus DEOque soli gloriam cantamus nunquam terminandam.

